DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS.

DE

VITA SANA
UT CAUSA FATI SENILIS ET LONGÆVITATIS.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. BERNARDI SIEGFRIED ALBINI,

MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMES, ET CHIRURGIAE IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Publico & Solenni Examini ſubmittit

ARNOLDUS DULLÆUS, Altena Marc.

Ad diem 20 Junii 1726, hora locoque ſolitis.



DEO

PATRIÆ

PARENTIBUS

CONSANGUINEIS

PRÆCEPTORIBUS

Atque

AMICIS.

Hanc, quæ par eſt, animi devotione conſecrat.

AUTOR.

rum, annorum pericula feliciter emerſos in omnibus ſponte deficere faciat; & contabefactos tandem, viribuſque fractos Mortis jugo ſubmittat: quippe hujus cognitio ex accurata demum Vitæ & Morbis demonſtratione haurienda venit; Hodie vero, ubi felix Magnorum Virorum fatum hac in parte ad ſummum fere faſtigium evexit noſtram Artem Hæc quoque ulterius latere non potuit; ſed, ut inferius patebit, conſtitit clare, quod actiones à Vita ſana inſeparabiles hoc fatum Hominibus cudant; et temperata harum indoles longævitatis Arcanum conſtituat. Omnes nunc mortales, dum ex ipſius Naturæ dictamine inſtigat amor Vitæ ſuæ, dies quouſque poſſibile prorogandi, & omnes, quibus hoc curæ cordique eſt, ad Medicum confugiunt conſulentes, quibus uti conveniat, quæque fugienda habeant, ut adſpirante gratia Divina in ſecunda valetudine ſeros ætatis annos aſſequi valeant: intereſt Medico; ſi conſulentium votis reſpondere, & ex Artis fundamento vera conſilia & auxilia depromere velit, ut vitam quoque in his circumſtantiis probe cognoſcat; & dirigere ſciat.

Hujus itaque materiæ utilitas impulit animum quædam de Vita ſana, ut, cauſa fati ſenilis & longævitatis, in Specimen conſcribere, ut Laudabilibus hujus Academiæ Legibus, ſatisfacerem; alioſque feliciori genio & otio fruentes in amplum hunc meditationis campum invitarem: Tu interim, B. L. Si in ampla hac materia vires defecerint; aut in conſcribendo ordine vel ratiociniis forſan error irrepſerit, & rudior paulo ſtylus offenderit, Benigno ut interpreteris animo, rogo, & confido.

CAP.

CAP. I.

De Vita Sana ut Cauſa

FATI SENILIS.

§. 1.

Per Fatum ſenile, quid intelligamus, innotuit jam procemio; quid vita ſana, ut rem omnibus notam tranſimus; ſupponimusque, quod hanc in corpore bene formato, expeditus humorum circuitus per organa functionibus ſic dictis Vitalibus, naturalibus animalibuſque ſacratis, efficiat; quod & quilibet, hodiernis Theorematibus imbutus facile dabit. Verum ipſam vitam ſanitatiſque exercitium aſſiduo in nobis mortis imaginem fabricari; multis inprimis his, quos intima corporis Fabrica penitus fugit, paradoxum apparebit; Interim tamen fert hoc noſtræ ſortis conditio, & eſt noſtræ ſuperbiæ præmium, ut ſoluto unionis vinculo, revertatur pulvis in Terram, unde erat; & Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum; Teſte Eccleſ. cap XII. Circuitus enim humorum eſt unicum illud blandæ amicitiæ vinculum corporeum, quo deſtructo vita perit, & utrique parti ſua redditur libertas; ſi igitur ipſa ſibi Vita circuitus libertatem per vaſa demit, proprii interitus cauſam evadere nemo negabit.

§. 2. Si nunc conſideramus, quæ vaſis ad tot Ictuum myriades, quos ſuſtinendos habent a liquidis, ut circuitus horum obtineatur, contingere debent, & revera contingunt, videbimus clare in horum lateribus tale ſenſim produci robur, quod vi Cordis projectili majus circulationis defectum à minimis gradatim verſus majora introducat: Omnibus equidem corporis noſtri vaſis præſertim arterioſis mirabilis hæc connata eſt Virtus ut ad imminutam cauſam latera diſtenden-

tem

tem ſe magis magiſque contrahant; liquida contenta expellant, & ob imminutum cavum, auctamque inde reſiſtentiam circuitum tandem intercipiant Docent hoc nos manifeſtè, Corpora Phtiſi Pulm. infecta: Hæc, licet ante morbi infectionem, pleni ſucculentiſſimique plerumque ſint habitus, attamen inducta liquidorum ineptia a læſo pulmonis munere, corpore mox concidunt, adeoque exſiccantur & emaciantur ut Sceleto potius, quam homini carnoſo æquiparari poſſint: Exhauſtorum horum cadaverum inſpectiones poſtea demonſtrarunt, tam enormes in his contigiſſe contractiones, ut majorum canalium cava vix paucas ſanguinis Uncias contineant, qui in ſanitatis ſtatu integras ſolebant libras. Quoniam autem contractio hæc lente pro imminuta ſenſim humorum reſiſtentia invaleſcit; apparet ratio, quare defectus à minimis primo incipiat; quum ſc. in his circulatio difficillima, & ad parvam arctationem omnium citiſſimé requiſita pro humorum tranſitu perit apertura.

§. 3. Eadem cum conditio, ad auctum vaſorum robur ſupra fluidorum impetum, oriatur in Corpore, apparebunt tum quoque Phænomena (§ 2.) memorata; imo ad contractionem longe minorem concipiet neceſſario circuitus labem; quum tale robur quale ſuppoſuimus comitetur ſemper rigiditas, ſi talis cohæſio in partibus latera conſtituentibus, quæ nunquam ſine rupturæ metu eouſque cedit, quo requiritur, ut copia trajiciunda expedite propellatur. Demonſtravit enim evidentiſſime, Cl. Borellus in Elaboratiſſimo Tr. de Motu Animal. Part. II. Cap. V. quod ſi Corpus humanum maneret perfecte, quale nunc eſt, ſed omnes fibræ per unicum momentum fierent rigidæ. h. e. non ſuperabiles per vim ſanguinis, tunc homo non haberet circulationem ſanguinis per unum momentum. Nam circulatio non procedit niſi vaſis plenis, ſi nunc illa Vaſa plena ſunt, & non cedunt ulli impetui, tunc quando Cor ſe hoc momento evacuat, debet comprimere ſanguinem & occupare ſpatium, ſed quando Corde clauſo nunc non poteſt per Venas tranſire ſanguis, fit quies arteriarum: ſi hoc verum, ſtaret quietus ſanguis, tempore quo propellitur, hinc

hinc cauſa noſtra vitæ eſt flexilitas.

§. 4. Tale vero robur & omnibus tandem lethalem rigiditatem in vaſorum lateribus oboriri ex ipſius circuitus actione; conſtabit, quando laterum fabricam; & motum humorum, quo continuo afficiuntur; pauliſper contemplabimur.

§. 5. Accurata equidem recentiorum Obſervatorum experimenta evicêre, vaſorum conſpicuorum latera conflari ex minoribus aliis vaſculis toti ſui ſimilibus hæcque rurſus ex minoribus, eo demum uſque progrediente hac homoeomeriâ, ut omnes ſenſuum quacunque arte adjutorum limites excedat.

§. 6. Quando nunc horum canalium latera vi fluidi a corde projecti continuo diſtenduntur, fiet neceſſario, ut vaſcula latera iſthæc conſtituentia comprimantur; vi autem premente aucta, atque continuata latera magis ad ſe invicem apprimentur, & cavitas per gradus minuetur; donec tandem perfecte tollatur.

§. 7. Hoc dum contingit; & latera vaſculorum ſine vel cum particulis humorum interceptis fortiter ad ſe invicem adiguntur, condenſantur in fibras ſolidas impervias: Hanc enim proclivitatem in mutuas cohæſiones in ſolidis, æque ac fluidis noſtri corporis admiramur; conſpicua utriuſque concretionis modi exempla offerunt nobis Vaſa umbilicalia: venam enim umbilicalem poſt partum collapſam concreſcere in ligamentum, dum ligata non amplius liquido pervaditur, quis dubitat? Arterias quoque Umbilicales cum compreſſis humoribus in denſos funes compingi, omnis teſtatur dies; Et quid opus pluribus cum omnes obſervationum Centuriæ id ipſum latrent.

§. 8. Nullus igitur ſupereſt dubitationi locus quin idem vaſculis minimis, & quidem citius adhuc à vi (§. 6.) explicata contingat. Eadem quoque exinde, perſpicuitate apparet, quod ſimilis neceſſario ad quamcunque vim extrinſecus applicatam, vaſculis futura ſit mutatio.

§. 9. Cum nunc hæc (§. 8.) vis æque minus à vita ſeparabilis ſit, ac illa (§. 6.) memorata; obliterabuntur cum evidenti neceſſitate in dies vaſcula: & multiplicabuntur una;

cum durante vita contactus fibrarum in majorum vaſorum lateribus: Quis enim mortalium poterit à vaſculis avertere? ne accumbentium pondere; vel concomitantium diaſtole premantur, certe quiſque, qui hoc intendit, licet omnem inhibeat muſculorum actionem, excidet ſcopo: quando autem, cum his quoque validæ muſculorum actiones, & externæ cauſæ, prementes, quæ nos undique circumſtant, concurrunt; accelerabitur etiam neceſſario mutatio toties memorata.

§. 10. Quo igitur vis utraque (§. 6, 8.) egerit diutius & vehementius; eo magis etiam & citius mutabuntur vaſcula in dictas (7) fibras, vaſcula autem conſolidata, quum ob auctos in fibris contactus firmiora & rigidiora evadunt, erit quoque inevitabile, quod majores canales in lateribus reddantur firmiores, rigidioreſque ſenſim tempore.

§. 11. Vaſcula itaque continuò in nobis aboleri, eſt evidens veritas; an autem eadem quoque ratione, nova accreſcant, veris hactenus nondum conſtitit experimentis: Anatomici enim nullum adhuc in Adultis aſſignarunt vaſculum, quod poſt nativitatem demum accreverit.

§. 12. Quapropter probabile admodum cum ſit, quod totum, & ſingula quæque pars noſtri corporis ex definito fibrarum & vaſculorum numero conſtructa ſit; non poterit una eademque inter fluida & ſolida continuare ratio; ſed debet penitus ad tempus inverti: ponamus v. gr. Canalem, ex 100 minoribus conſtructum vaſculis; & ad certum tempus continua laterum compreſſione ex his 50 commutari, & tandem omnia dictam (7) mutationem ſubire: Nonne tum, cum plurima adhuc canalis vaſcula liquida continent; liquidorum proportio ad ſolida hujus canalis erit major? Et minor contra, ubi jam maximus horum numerus fibræ ſolidæ naturam induit? Quilibet ſane, hoc extra dubitationis aleam ponet; confitebiturque, ad medium numerum, atque tempus quandam neceſſario incidere, æquilibrii ſpeciem.

§. 13. Cum autem, ceteris paribus Corporum vires cum mole

mole increſcunt; ſimilis quoque, ad dictam (12) fluidorum & ſolidorum proportionem introducetur virium ratio, & quoniam omnes canales, atque partes corporis ex minoribus conſtructa vaſculis ſuppoſitam (12) demonſtratamque (7-18) abolitionem experiuntur: neceſſario quoque tota mutabitur corporis temperies; & mutationum phænomena. Nam quouſque fluidorum vis, & copia, ſupra ſolida dominatur, alterabuntur magis ſolida; & extendentur maximopere: creſceret hinc homo, quouſque hoc liquidorum prædominium ſe extenderet. Incipiet autem hoc corporis incrementum ad inſtans (12) æquilibrium ſubſiſtere, abſolutumque corpus ſine notabili mutatione æquilibrii periodum tranſire. Quæ vero invaleſcente ſolidorum præpondio ſupra fluidorum vim & copiam contingere debeant, jam ex §. 2. 3. innotuit.

§. 14. Ex omnibus huc usque dictis, liquido ut puto, conſtitit; quod per ipſam vitam & actiones à Vita ſana inſeparabiles ſolida noſtri corporis augeantur; & quod ad certum horum augmentum, certæ quoque in corpore oriantur mutationes, quæ incrementi, conſiſtentiæ & decrementi rationem involvant; tandemque maraſmi ſenilis ultimæque mortis, neceſſitatem omni mortali imponant: Verum dubitatis forté, an hæc quoque Experientiæ reſpondeant! Agedum? percurramus, qua licebit brevitate vitæ curriculum; & perluſtremus, quæ corpori in ſolidis, aliisque conditionibus ætate, contingant; & deſiderata patebit conformitas.

§. 15. Silentio licet prætereamus prima corporis ſtamina, quæ, Teſte M. Malpighio (in Diſſert: de formatione Pulli in ovo) ob ſuam mollitiem omnis indagatoris induſtriam eludunt, ut in conſpectum protrahantur; & contemplemur ſolummodo jam nati infantis corpuſculum, totum adhuc tenerum laxum, undique perflabile, ac pulpoſum offendimus: debilis namque & brevis vitæ activitas, nondum multa compegit vaſcula; Hinc & oſſa pleraque habet cartilaginea, aut magnis ſaltem cartilagineis interſtincta ſegmentis: Cartilagines vero ſunt vaſculoſiſſimæ, multisque in locis adhuc membranaceæ: Cuncta denique hîc turgida; & liquidis quaſi tranſparentibus inflata conſpicienda veniunt.

B 2 §. 16.

§. 16. Ut autem infans poſtea corpore ſenſim increſcit; ita quoque pedetentim majori corporis firmitate & robore ditatur: ad eandem quippe cauſam, qua vaſa elongantur, augentur ſimul cohæſiones in fibris: Interea tamen per totum hoc temporis intervallum, quo corporis incrementum viget, humida temperies prædominium obtinet; quod ſoli ſenſus ad tactum demonſtrant.

§. 17. Enata tum in Oſſibus, & partibus his maxime affinibus, tali firmitate, quæ ulteriori ſui extenſioni ſe opponit; ſiſtitur una reliquarum partium incrementum; & optima inter humidam & ſiccam vendicat ſibi temperatura locum: cum hâc tum ſummum ſimul Roboris attingit cacumen homo: Verum in hoc humanæ felicitatis faſtigio non longe moratur, ſed advenit humanæ fragilitatis nuncia Senectus; & illum rurſus, lento licet greſſu, ad Tumbam comitatur tremula vitæ Hyems: Vix enim in optima hac temperie. xx aut xxx annos tranſegit, quin incipiat ſponte ſua in omnibus ab ordinaria activitate deflectere; ſenſim deficere, tandemque rigidus contabefactusque penitus, candelæ inſtar ultimum efflare Spiritum.

§. 18. Contemplemini enim mecum, quæſo, decrepitum Senem, cui jam longa annorum, ſerie Vaſa micuêre, & quem Vitæ activitas ad ſummum ætatis faſtigium provexit; Videbitis totum hunc contracto, exſuccoque corpore rigere; & Senſuum externorum uſu orbum ante mortem emori: Minima etenim vaſcula nervea diuturna concomitantium arteriarum Diaſtole compreſſa omnium primo ſua munera recuſant. Hinc queritant octogenarii cum *Barzillao* (*lib.* II. *Samuel cap.* XIX), oblataſque delicias (à quibus non amplius afficiuntur) effugiunt, dicentes: *Quot ſunt dies annorum Vitæ meæ, ut aſcendam cum Rege in Jeruſalem? Octogenarius ſum hodie numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave aut amarum? Aut poſſum delectari cibo vel potu? ſive audire ultra vocem Cantorum atque Cantatricum? Obſecro, ut revertar, & moriar in civitate mea.* Rigidæ evadunt ſimul ſenibus partes continuo motu agitatæ: mollis enim muſculorum caro emarcida fere tendineſcit;

& deſtituta inungente liquido fibra ad fibram concreſcit inhabilisque fit ad motum: Tendines vero oſſeam ſæpe induunt duritiem: Ligamenta occaleſcunt, & exſiccati Articuli redduntur immobiles (*conf. Bonnetus in Anat. Pract. Lib.* IV. *Sect. VI. Obſ.* IV.) Hinc quoque Vertebrarum ſtrues exſiccatis una, concretisque intermediis cartilaginibus incurvatur antrorſum, inque unam immobilem figitur columnam (*vid. Cl. Morgagni Adverſ. Anatom.* III. *pag.* 104.) Cartilagines etiam aliæ, uti Aſperæ Arteriæ, Bronchiorum, Enſiformis, &c. mutantur in os. (*concil. Laudat. Morgagni Adverſ.* I. *pag.* 31. *& Sect.* VI. *citat. Boneti in Sepulch. Anatom.*) oſſa vero ipſa; (*teſtante Cl. Ruyſchio Adv. Anat.* II. *pag.* 2 *& Obſ.* LXXXII.) ſicciſſima evadunt; & tubulis omnibus, ante adhuc conſpicuis privati lapidem fere induunt. Pergente ulterius hâc interitus cauſa exſiccantur ſubtiliſſima cerebri ſtamina, meninges; harumque proceſſus, (*leg. Egreg. Baglivius de Fibra Motr. lib.* I. *p.* 307.) Hinc Senſus interni; functionesque omnes animales, hebetantur; & repueraſcit inde Senex. Eundem quoque rigorem reliquorum viſcerum deſtruere functiones adnotat *Laud. Bonetus.* (*Lib.* III. *Sect.* XXI. *p.* 471.) Conſtatque ex *Cl. Ruyſchii Obſervatione*, (*Adv. Decad.* III. *pag.* 22. *&* 23.); quod plurimæ Secretionis Machinulæ; ut glandulæ meſenterii; mammarum; thymi &c. ætate adeo contrahantur, ut ne quidem veſtigia relinquant: Cum his itaque, dum ſimul minimorum vaſculorum abolitio & majorum canalium contractio incidit; oritur neceſſario immedicabilis marasmus; tumque frons una ſulcatur in rugas, concava linquunt ſedilia dentes; defluunt crines; cana nive capillorum hyemat vertex, & mortuali pallore albicat facies: Donec eodem in vitalium minimis oborto callo, inter vim cordis & Arteriarum nixum naſcatur æquilibrium, atque cum hoc inducatur quies M. S. & placida morte obdormiat vitæ Satur Chremes. Horum poſtea cadavera non ita raro oſſificationes in cordis baſi (*vid. Morgagni Adv.* V. *pag.* 20) & magnarum Arteriarum principio (*Conf. Bonet. lib.* II. *Sect.* VIII. *Obſ.* IV.) oſtendere ſolent. Deſiderata (14) itaque ex his (15--18) dictis elucescit conformitas.

§. 19.

§. 19. Senilis igitur mors (18) ex intimis Naturæ noſtræ viſceribus dum propullulat, omni neceſſariò mortali, qui non ante diem Fatis cedit, non aberrandum tramitem ex hac Vita oſtendit.

§. 20. Huc vero, cum nonniſi per notabiles corporis mutationes iter pateat, harum quoque evidens apparet neceſſitas; & cauſa. Intermedias autem has mutationes, qui annorum ſpatiis & intervallis dimenſi primo diſcreverunt, ſimul ætates appellarunt; quare & in ſequentibus hac voce utemur; notabitque: *Id Vitæ curriculum, quo luculenter corporis conſtitutio, per ſe ſuoque nutu mutatur.*

§. 21. Falſo itaque ætates, & ætatum finis, mors ſc. ſenilis, cuicunque cauſarum extranearum inſultui imputantur & absque fundata ratione certo aſſignantur annorum *Numero*: Nam licet, ad communem temporis menſuram revocatæ mutationes certum annorum Numerum ſibi vindicare ſoleant, neutiquam tamen, cum hocce ita nectuntur, ut ab ea diſcedere non poſſint: quotidiana quippe obſervatio hoc adſtruit; ipſaque Ratio approbationem annectit: Quot enim aſſiduo *Nos* circumſtant incommoda, quorum vi huc, illuc traducimur? & quibus non patet Vita alterationibus, dum ipſe, qui Nos inhabitat Hoſpes, totum aliquando invertat Vitæ ſtadium? Raro igitur, ſi unquam æquabili tenore Vita Curſum abſolvet: Hinc quoque non miramur, cur paucorum Ætates in unum incidant temporis punctum, & ultimus vitæ terminus diverſo finiatur annorum ſpatio, quum quilibet propriam degat vitam; & ad ſolum Terræ, majori conſtantia ſua ſtadia decurrentis curſum, tempora menſuram capiant: major interim frequentia, quandam in his normam dedit, ad quam nunc matura à præmatura diſcernitur ætas; & inter brevem, atque longam, maturamque Vitam invenitur diſcrimen: Communi etenim effato longævus in noſtris Terris dicitur, qui Vitæ ſuæ dies ultra LXX vel LXXX ætatis annum in Sanitate extendit: & brevi contra fruitur Vita, qui ante hunc maturæ ætatis terminum eodem fato è vivis eripitur.

§. 22. Ad hæc (21) dum Hominum induſtria animum ap-

pli-

plicuit; & in cujusque ſimul anteactæ Vitæ conditiones acriter meditata eſt; Invenit tandem rationem: longius cur aliis, & aliis brevius ſit Vitæ curriculum? didicitque; quod, quibus longa vel brevis Vita futura; Ætatum quoque apparitiones his citius vel tardius incidant. Quapropter etiam Perſpicaciſſimus Naturæ Indagator *Egreg. Verulamius in Hiſtoria Vitæ & Mortis*, ut futuræ longævitatis ſignum adnotavit, ſi Pubertatis indicia tarde prodeant, & ad incrementi ſtatum lente perveniat Homo: Indicat tum (ſunt verba Autoris) Periodos confici per majores circulos.

§. 23. Poſtea demum ars naturæ veſtigia legens fuit annixa, imitando has vitæ conditiones, quibus homines ex ipſius naturæ inſtinctu, vel caſu longam vitam impetrarunt; plures per fluctuoſum Vitæ mare transponere extra communis curriculi limites, tantosque in eo fecit progreſſus ut laudat: Verulamius, (lib. III. cap. I. Hiſt. nat.) de ſe ipſo teſtetur, quod, dum debilis genitura omnem ipſi longævitatis ſpem denegaſſet, hac tamen non obſtante per curatum Vitæ moderamen, maturam ſatis fuerit adeptus Ætatem: de hoc Vitæ moderamine in longævitatem, dabitur mox diſſerendi opportunitas in ſequenti Capite, quod conſiderationi Vitæ Sanæ, ut Longævitatis cauſæ, deſtinavimus.

CAP. II.

De Vita Sana.

UT LONGÆVITATIS CAUSA.

§. 24. *Longævitas* juxta (21) dicta nihil aliud eſt, quam Continuatio Vitæ Sanæ ad vel ultra communes Vitæ limites protracta. Hinc, dum proprios ſibi Vita Limites, ex ipſius Fabricæ, Adorandâ Conditoris Sapientiâ conſtructæ ratione, per vaſculorum (14) compreſſionem figit; erit quoque neceſſario unica naturalis Longævitatis Cauſa quatenus

tenus ſc. ultimum Mortis limitem per majus annorum intervallum extendit.

§. 25. Extenſio autem hæc (24.) contingit, tum quando per moderatiores Vitæ Sanæ actiones vaſculorum occallescentia temperatur, lentiuſque promovetur in omnibus lethalem (18) Corporis rigiditatem.

§. 26. Vita igitur Sana in ſuis actionibus ita temperata, ut nec torpeat; nec vigeat ultra juſtum; videtur (ceteris paribus) ſola poſſibilem hominibus longævitatem promittere: Languor namque Vitæ ante diem ſuffocat; & nimis contra incitatus Vigor præmaturam invitat ſenectam. Videmus hoc in his, quos acuta febris diu detinuit; aut laborioſa manus in ætatis flore impie exercuit; improviſa, nimirum canities obruit utrosque: quum impetus humorum utroque modo valde intendatur. Unde & veterinarii, ut equus validis laboribus exercendus longiori tempore à rigiditate præſervetur, ſuadent, eundem, durantibus accretionis annis, non nimio operi adſtringere; quum alioquin vix decimum agens annum, rigidus plane, motuique ineptus ſit futurus.

§. 27. Hinc, quos Naturæ Benignitas ad longævitatem deſtinavit, recipere quoque obſervamus à Genitura Corpus in dictum (26) actionum moderamen conſtructum; inſtructumque animo in ſpem futuri boni ſemper erecto, atque prono in ſingularem diætæ obſervantiam. Quâ de re omnino conferri merentur, quæ indefatigabili induſtria, & judicio haud vulgari digeſſit Magnus in Arte Profeſſor; & Præceptor meus ad urnam uſque devenerandus HERMANNUS BOERHAAVE in Inſtit. Med. 882. ad 887. de Naturali hac corporis conſtructione, ejuſque ſignis: Nec non, quæ ex Veterum monumentis Recentiorumque obſervationibus de Vitæ longævitate, & brevitate Laudatus *Verulamius*. (Tract. jam citato) conſcripſit.

§. 28. Ars in humanæ Vitæ contemplationem intenta, poſtea obſervans: Plurimos in his (27.) conditionibus vel deficere, vel aberrare, perpaucoſque longam aſſequi Vitam: conata fuit, reſtituere defectum; aberranteſque Naturæ motus

tus in laudatum (26) moderamen componere; atque compoſitos in ordine ſervare, quouſque fragile corpus, Artis molimina non eluderit, ſicque plures per longas ætatum Periodos ad Longævitatis Portum conducere. Nec fruſtrato penitus ſcopo (23) receſſit ab hocce conamine; licet præter ea, quæ obſervando & imitando Naturæ Veſtigia didicit, nullum potuerit excogitare longævitatis Arcanum: Scio quidem, quam Magna hic ſpondeat Adeptorum cohors; & ſuorum arcanorum uſu promittere annos à libidinoſo cujuſque Mentis pruritu determinabiles. Verum jactantiæ Horum ceteroquin laudandæ, induſtriæ & probitatis non modo ratione, & communi Experientiâ refutantur; ſed & ubique, quod magis, ſuis propriis redarguuntur experimentis. Quare & Horum Arcanorum diſquiſitionem ſilentio præterire cogor.

§. 29. Deberem igitur hic recenſere ea, quæ Ars (28) præeunte Natura, per ſuos Antiſtites notavit, comprobavitque; Aſtne mutilarem, conſpurcaremve metuo, opera, quæ horum digeſtioni impenderunt Laudat. *Verulamius* (in citato Tr.) & Celeber. HERM. BOERHAAVE in *Inſtit. Med.* de Diæta ad Longævitatem. Principalis autem Laudatorum Virorum cura, dum verſatur maxime, in tradendo Rerum ſic dictarum Non-naturalium, atque medicaminum Selectu, quo corporibus conditiones ad Vitam longam requiſitæ concilientur: dabitur quidam mihi dicendi locus de generalioris hujuſmodi Selectus, inprimis diætetici, uſu cuique ætati accommodando; cujus cognitione neutiquam carere poterit longævitatis ſtudioſus, niſi cœcus quotidie in longævitatis regulas impingere velit; quippe, quæ uni conveniunt, alteri ſæpe obſunt cum vitæ diſcrimine: ſolus hoc evincit Vini meracioris uſus, quod ob ſingulare, quod ſenibus præſtat ſolamen, lac ſenum dicitur; hoc autem, ſi quotidiano uſu exhibetur Infantili corpori, horum præmature ſiſtit incrementum; & ad levem ſæpe exceſſum, lethalibus excruciat convulſionum motibus: Et quid opus pluribus, hujus demonſtrationi inhærere, dum res ipſa hoc ſua loquatur evidentia. Perſtringamus itaque breviter, qua-

lem, corporis ratio per ætatis exigat, Selectum.

§. 30. Ratio cujuſque (22) ætatis cum ſit, ut hujus periodi cum ſanitate prolongentur; intereſt maxime, Ætati Infantili, bona diæta & vitæ regimine proſpicere, ne corpuſculum, hic, debile valde ac ſenſile (14) in primo vitæ ſtadio, maxime florente ſupprimatur; & incitata ſemel Natura pernicibus poſtea ſenectutem affectet greſſibus, ut clare obſervamus in Ruſticorum Natis, qui raro proceram nanciſcuntur ſtaturam; citiuſque præ aliis, incurvantur Senecta; quoniam fortioribus adſtricti laboribus, corpus plerumque ante tempus, indurant. Solent hinc veterinarii, animalia, quorum parva ſtatura delectat, mox à Nativitate valide exercere; atque ſimul, ſpiritibus aromaticis extus intuſque imbuere. Nonne & quotidianum eſt obſervare, quod Infantes, quorum judicium jam immaturum admiramur, in media ſuffocentur plerumque Via: quum præmatura minimorum ſtaminum valida exercitatio, debitum reliquis ſubducit nutrimentum? Certe communis hoc teſtatur obſervatio. Quouſque igitur corporis incrementum maximè viget, requiritur, ut cibus & potus, ſit blandiſſimus, levique aſſimilationis vi ſuperandus: ut magna animi contentio & durior labor puerilibus nugis largiorique ſomno avertatur; & ab externis aeris Viciſſitudinibus, frigore maxime & æſtu nimio, tenera corpora præſerventur.

§. 31. Ubi autem ad ſtaturæ acmen accedit homo & humoribus valde turgere incipiunt vaſa; ſubeſt Plethoræ, & Obeſitatis metus, periculumque oriundorum inde morborum plerumque urget: Hinc, tum labor ſenſim augendus; immuendaque eſt quies: Cibi ſuppeditentur paulo crudiores; minuſque nutrientes, ex Vegetabilibus, & macilentiorum animalium carnibus deſumti: Potus hic conveniens eſt lac magis dilutum, aqua, vel Cereviſia tenuior: ſic ſimul quoque labificæ avertantur conſumtiones, quæ huic ætati maxime imminent, ex humorum accumulatione, horumque exæſtuationis motu. In ſacris præterea Bacchi, turpiſque Voluptæ, magno moderamine eſt opus ne conſumtus inique, hu-

jus

jus ætatis flos, gravem immaturamque poſtea vitæ hyemem acceleret. Interrogatus hinc Senex Poeta:

Cur tibi tam levis eſt? cur tam jucunda Senectus?

Eleganter repoſuit:

Libera, quod Vitiis, noſtra juventa fuit.

Nam ſubtilis, quæ inde remanet Corpori labes non percipitur quidem, quamdiu maxime Vires Virent, & vaſorum ſequacitas, humorum ſe accommodat conditionibus; verum, dum poſtea Vires languere, & callus vaſcula obſidere incipit, tecta quoque juventutis vitia prodeunt.

§. 32. Quo tum magis ad Conſiſtentiæ (17) annos pervenit Homo, craſſiorem quoque victum, & duriores labores ſuſtinet; ſummum enim hîc ætatis robur Viget. Alimenta hinc requiruntur, quæ paulo validius aſſimilationis Viribus reſiſtunt; nec tam cito Vitam ſuam amittunt; qualia ſunt: Vegetabilia tenaciora farinacea; leguminoſa; carnes macilentæ, ſalitæ, vel fumo induratæ; piſces &c. Potus qui, in hac temperie convenit; ut ſit omnium tenuiſſimus, fereque aquoſus, quilibet facile, perſpicit; Et ne nimia humorum denſitas auctæ febris metum faciat vel nimius vitæ vigor præmature felicitatis ſtatum deturbet, debent imminui corporis mentiſque Exercitia, & diatheſis in Inflammatoriam vergens interpoſito mollium olerum uſu, eſt infringenda; quare vera hujus Ætatis ſolatia præſtant Acetaria ex Endivia, Lactuca, Valerianella, & ſimilibus, cum aceto & oleo paranda.

§. 33. Verum, quando jam Senium cum Solidorum Præpondio Scenam mutat; & Vaſa magis magiſque ad canalis ſui axin properantia, contenta liquida expellunt, (23,) penituſque tandem omne cavum intercipiunt; minuitur tum ſenſim circuitus, liquidiſſima per majora vaſcula liberè exhalant; remanent craſſiora, & compreſſa a valido vaſorum nixu lenteſcunt: oritur inde lentor, & languor, qui omnes pedetentim evirat functiones: Hinc ne vaſorum rigiditas cum dicto humorum lentore accelerato ulterius pede pergat, debent corporis mentiſque labores cum increſcente Senio rurſus im-

minui, & Diæta ſimul ac reliquum Vitæ regimen ad Pueritiæ ſenſim ſimplicitatem denuo deduci: Obſervata interim hâc differentia, quod ſenibus conveniant magis ſalibus & Aromatibus condita, potuſque Vini Meracioris uſus cum melle magnas inter ſenum dapes, mereatur Laudes; quoniam imminutum Caloris focum excitat, & torpentes humores movet, reſolvitque ſtagnantes, cum blanda omnium functionum refectione. Quare non immerito vinum hujuſmodi dulce ab Antiquitate veneranda pro ſenum lacte ubique commendatur.

§. 34. Male autem ſibi conſulunt Senes; quando in alcole vini, & Spirituum Aromaticorum uſu Senectutis ſolamina quærunt: pro momento quidem reficiunt; ſed denſant ſimul humores, exſiccantque plus vaſa. Nec melius ſuæ ætati proſpiciunt, hi, qui potibus mere aquoſis ultimum ſenii fatum differe conantur; majorem enim humoribus inducunt lentorem graviusque languentes ſuffocant functionum vires

§. 35. Propterea tamen non diſſuaderem interponendo uti ſtricta Diæta, quæ veteres fundat humores, expurget ſolutas, & novis poſtea proſtratum corpus repleat liquidis. Videmus enim haud abſimili ratione boves aratores ætate & laboribus exhauſtos, carnes recipere teneras & qſ. juveniles, humoresque blandiores, quando in paſcua nova ac læta admittuntur ita, ut non ſpernendæ foret utilitatis ad longævitatem ſi hujusmodi diæta, cum decoctis L. Guajac, Santal. Rad. Sarſaparillæ; chinæ, vel cum Mercurio, ad primos vergentis Periodi annos ſub Artis auſpicio inſtituerentur: & maxime quidem tum, quando jam juventutis vitiis laborat (conf. laud. Verulamius lib. cit: Operat. X)

§. 36. Increſcente poſtea, ſenio, debent perinde extrinſecus applicari balnea, fomenta, & inunctiones, quæ cutis ariditati medentur, & bibulis ſimul noſtri corporis poris ultimæ elaborationis liquida haurienda præbent: Quo ſcopo commendari ſolent fomenta ac fotus ex lacte recenter mulſo, vel ſero lactis, aut jure carnium deſumta; aut ex ipſis partibus animalium recenter mactatorum applicata. Omnibus au-

autem his facile palmam præripit id fomenti genus, quod ex corporibus vivis, blandos vapores copioſe exhalantibus petitur; ſi enim hoc ſcopo puer vel puella ſub uno ſtragulorum tegmine cum decrepito ſene decumbat, halituoſa de juniori corpore exſurgens aura reflexa in ſiccum corpus roris inſtar illud blando calore fovet, atque humiditate reficiente imprægnat, irroratque.

§. 37. Verum, licet tot laudes, tantaque promittat bona ad dictam temperaturam vocata Vita, paucos tamen, hoc vitæ genus felices reddere, omnis teſtatur dies: Prorſus quippe difficile, quæ undique nobis intenduntur retia defugere, & toto Vitæ curriculo, tuto ex externarum procellarum fluctibus emergere. Quotusque enim eſt, quem ſi Patris aut matris labes à genitura non infecerit; blandæ voluptatis illecebræ non aliquando irretiant? aut quem, ſi moderatrix temperantia ſedulo conſervaverit, inconſtans volubilisque Fortuna præcipiti caſu non obterat? Plurimos, ſane, quorum excutias non egit ſedulo Prophylaxis, morbus ante diem ad ſenectutis annos incapaces reddit.

§. 38. Qui itaque ad ſeros adſpirant ſenectutis annos, præter divinam Grratiam, propitiam quoque habeant Prophylaxin, ut temperaturæ limites excedens Vita mox, antequam labem inde ſuſcipiat, in regiam reducatur Viam, & inturbata ſerie, ſua ſtadia abſolvat.

§. 38. Eſt igitur in Artificis ſalutaria Hygienes & Prophylaxeos præcepta edocti, poteſtate per utriusque effectuum directionem, in laudatum ſupra (26) Vitæ moderamen, pernices Vitæ greſſus retardare, & ultimum halitum prorogare: Neutiquam tamen, avertere eſt Artis, quod omnibus ex vita ſana imminet, Fatum ſenile: Hoc enim eſt, ad quod ſua carmina dirigit Poeta quibuſcum deſino?

In te corruimus, Tua ſunt quæcunque fatiſcunt:
Ultima quæque tuo conficis ipſa malo.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Certum cuique Vitæ terminum circumſcribere videtur definitus vaſorum numerus.

II.

Cujuslibet Vitæ terminus longiori, vel breviori temporis ſpatio abſolvitur, prout vita vel agilior, aut temperatior fuerit.

III.

Tantum abeſt, arcana, quæ Vitam in optimo vigore conſervant ad longævitatem ducere, ut potius vitam abbrevient.

IV.

Ad maturam interim ætatem aliquid contribuere poſſet Lap. Philoſophorum (ſi daretur)

V.

Cordis actio certo tempore ad idem fatum, quo arteriarum vis increſcit, decreſcit.

VI.

VI.

Multi morbi corpus ad longævitatem diſponunt.

VII.

V. S. nonniſi per accidens ad longam vitam prodeſt.

VIII.

Matrimonium præmaturum maturis annis eſt inimicum.

IX.

Iners otium ſenibus evadit plerumque lethale.

Hochedler zürne nicht wann dieſe reimen hinken,
Und richte meine Kunſt darinnen nicht zu ſcharf,
Ich mag mein herze nicht mit Phoebi farben ſchmincken,
Und dichte ohne Kunſt weil ich nicht dichten darf:
Dein lob ſoll Famens mund nicht meine feder tragen,
Ich ſage fleiſſ verſtand und tugend krönen dich,
Ich ſag's und darf es nicht in ſchönen worten ſagen,
Weil jeder der dich kennt es beſſer ſagt als ich.

Deſs herrn Autoris
gehorſamſter diener und freund
A. Haller. Helveto-Bernas.
Med. C. Oppon.

Du wilſt Hochedelſter, und meine Pflicht beſiehlet
Das mein ergebner Sinn dein feſt mit reimen ehrt
Allein ich ſchweige nur es iſt zu hoch geziehlet
Ich zeige meine Pflicht nicht deiner Tugend wehrt
Dein lobſpruch wird ſich gnug in deinen Thaten ſchreiben
Ich werde kein Poet doch wohl dein diener bleiben.

Meines herrn Doctoris
dienſtwilligſter freund und diener.
J. C. B. Jev. Friſ.
M. C.